



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 11. Abbas S. Maximini semper matriculæ Imperij fuit inscriptus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

*S. II. Abbas S. Maximini semper matriculæ Imperij
fuit inscriptus.*

EX iis, quæ vsque modò retulimus, ex ipsa natura rei & status essentia demonstratum est, Abbatem S. Maximini eiusque Monasterium esse membrum & Statum Imperii immediatum, idque sanè quàm Insigne. Nunc idem ex effectibus, qui talem sequi solent naturam & statum, idem validè confirmabimus.

Et primò quidem in omnibus Imperii matriculis antiquis æquè ac recentioribus, Monasterium S. Maximini iuxta muros Treuirenses inter membra Imperii, & Abbas eius inter Prælatos Imperii, qui immediatè parent Cæsari, numeratur, vt videre est in S. R. I. matricula Augustæ Anno MDLVI. proposita, in qua inter Prælatos Imperii ponitur Abbas S. Maximini vigesimo quinto loco cum hac taxa *Gibt zu Ross 3. zu Fuß 22. zu vnderhaltung Jährlich 125. fl.* Id est, dat equites tres, pedites viginti duos, & in æs consistoriale quotannis Centum viginti quinque florenos. Immo in matricula Imperii apud Mercatorem in Atlante in instructione ad tab. Germaniæ Venetiis reperta, quæ cum Imperio Germanico creditur cœpisse, habetur in tertio ordine Abbatum, loco tertio, Abbas S. Maximini iuxta muros Treuirenses: imo etiam in ea matricula, quæ Anno MDLXXVII. Francofurti reuisa & innouata est.

Est autem illa immatriculatio documentum & probatio manifesta, immatriculatum esse membrum Imperii, ideoque immediatè Imperio subiectum & pari cum aliis inscriptis qualitate, iure ac immunitate dignosci, vt passim DD. tenent, & in Iure notum est.

Ridiculum autem est, quod aliqui dixerunt per errorem Prælatum Maximinianum in Matriculam irrepsisse. Nam cum veritas sit irrefragabilis, ab immemorialibus temporibus Abbatem Maximinianum fuisse comprehensum in S. R. I. Matriculis, & reuera in omnibus Matriculis Maximinus inuenitur; quid insolentius tali dicto? Inuenitur quippe in Matricula prima & initiali, vt supra dictum. Item in ea, quæ producta Norimbergæ Anno MCCCCLXXVII. die S. Martini, quæ à peritioribus toto Imperio modò creditur fuisse prima: in repetita Ratisbonæ Anno MCCCCLXXI. in resumpta ibidem Anno MCCCCLXXXVI. in renouata Francofurti Anno MCCCCLXXXVII. in innouata ibidem Anno MCCCCLXXXIX. Iouis post Margarethæ. in repetita Norimbergæ Anno MCCCCXCI. in emendata Colonia Anno MDV. in reuisa Augustæ Anno MDX. in reiterata Wormatiæ Anno MDXXI. in resumpta Norimbergæ Anno MDXXII. in repetita Spiræ Anno MDXXVI. & iterum ibidem Anno MDXXIX. & Augustæ Anno MDXXX. & Wormatiæ Anno MDXLV. & instaurata Augustæ iterum Anno MDXLVIII. MDLI. LII. LVI. & iterum Anno MDLXVI. vt dictum. & Francofurti iterum anno MDLXXVII. vt dictum etiam: & sic deinceps, vt videre licet in Imperialibus Archiujs. Quis ergo per errorem irrepsisse dicat, quod ex antiquissimis Imperij libris depromptum, toties examinatum, instauratum innouatum est?

Et verò quis impediet de cæteris omnibus immatriculatis idem quemuis, si volet, objicere, sed non ob dictum cuiusuis minor fides monumentis, actisque publicis constat. longè absunt, vt id auscultent Archicancellarius, Archiepiscopus, Elector Moguntinus, Fiscales rationalesque Imperij. Probationes eius, qui voluerit tantis & tot publicis monumentis contradicere, fortissimas

esse oportuerit, nam error contra monumenta publica allegatus, nihil operatur absque probatione euidenti, vti DD. & Iura notissima clamant.

S. 12. Similiter Imperij circulus est adscriptus.

EODEM pertinet, quòd in antiquâ S. R. Imp. partitione in Circulos & Status membraque Imperij, ponatur in Circulo sexto vel Rhenano Archiepiscopus Treuirensis tertio loco, Abbas verò S. Maximini duodecimo, vti que tanquam Circuli illius particulare membrum, æquè distinctum contra Archiepiscopum, & æquè immediatè Imperio subiectum quàm alia, quæ ibi enumerantur Imperij membra.

Extat quoque antiquissima Regni Lotharici diuisio facta inter Karolum & Hluduicum Anno DCCCLXX in qua separati Status & territoria inter portiones Hluduici ponuntur, vbi præter Coloniam, Treuiros, Vtrach, Straburch, Basulam, &c. concurrenter, tanquam eiusdem qualitatis, numeratur S. Maximini Monasterium. Inuenies eam apud Pithœum inter Scriptores Gallicos veteres, apud Miræum in *Codice Donationum*, apud Haræum tom. i. Belg. Annalium &c. Hinc factum est, vt Prælati S. Maximini æquè atque alij immediati Imperij Status & membra ad Circulares conuentus Imperialium Statuum fuerint conscripti & conuocati. Nam vt litteris pluribus bene authenticis & sigillatis ostendi potest, quoties fuere indicta Imperialia Comitua, semper à quatuor Electoribus Rheni, atque adedè etiam Treuirensi, conuocatus fuit Abbas Maximinianus ræquam constatus & commembrum superioris Rhenici Circuli, ad cõsulendum in medium de communibus Circuli necessitatibus, & occurrentibus difficultatibus; quod factum non tulissent Electores Treuirenses (qui tamen in illud consenserunt) nisi sciuisent probè, Prælatum S. Maximini esse liberum & immediatum Imperij Statum, sicut alios, qui simili modo ex eodem Circulo conuocabantur.

In fidem dictorum, in manus fortè Scribenti occurrunt litteræ, seu citatio Alberti Moguntinensis Archiepiscopi datæ Moguntia, Luna post Io. Baptistæ, Anno MDXLIII. qua euocatur ex Comitua Palatini commissione Abbas Io. à Cellis ad Conuentum Circuli Rhenici Spiram. Item alia Friderici Comitua Palatini data Heidelbergæ X. Iunij Anno MDLXIV. ad Abbatem Perrum, quæ euocantur homines Abbatis ad Conuentum & transuectionem militarem Circuli Rhenici Boppardæ, in qua hæc signatè habentur: *Dan ihr in Vnsern Keinschen Churfürstlichen Kreis auch gehörig so erforderen Wir als dieses Keinschen Kreis Dorister euch hiemit gnediglich.* Item alia, quam Daniel Archiepiscopus Moguntinensis dedit Atschaffenburgi vltimo Nou. Anno MDLXVI. Abbatem Perrum conuocans ad Conuentum Circuli Rhenici Bingam &c. Item alia eiusdem Danielis data Aschaffenburgi Anno MDLXVIII. vltimo Martij. Itè alia Electorū Palatini & Moguntini coniunctim data Moguntia Anno MDLXVIII. Item quatuor aliq. Electorū Palatini datæ Heidelbergæ Annis MDLXIV. LXVII. iterato LXXI. quibus omnibus Prælati Maximiniani ad Rhenici Circuli Conuentus euocantur.

S. 13. Abbas S. Maximini cessante Exemptione immediatè Imperio soluit subsidia.

HOC quidem, vti & alia supra posita de immediatione Status, clarissimè in Concilio Aulico probatum fuit hoc sæculo, vti ex sententia, superiore sectione proposita & lata post quæstionem præcipuè hoc super puncto motam, est manifestum. Verum vt toti Imperio innotescat, quid Abbas sæpè dictus